



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

6. Festum dulcissimi Nominis Jesu

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

Festivitas Gaudiosa Dulcissimi,
& Potentissimi SS. Nominis Jesu
Christi.

EXHORTATIUNCULA I.

Nomen Jesu insonat! flectamus genua, & nostra exultent pectora! in hoc SS. Nomine stat nostra tota salus, & gloria. Quis non revereatur, & diligat? O fili! stamus pro nomine nostro, nec in aliquo patimur inhonorari; quanto magis ardeamus pro Nomine Jesu, pro Nomine Redemptoris, & Salvatoris nostri? Scimus obligationem: ergo & reddamus.

Instructio meritoria.

Manè excitati genuflectamus versùs quatuor mundi partes, cum omni veneratione, & desiderio gratulantes: *Centes millies laudetur Sanctissimum, ac Dulcissimum Nomen Jesu!* Per diem autem recitemus Officium minus de Eodem. Frater fratri congaudeat!

II.

Quis nostrum est, ô fili! qui non offendit sapius admirabile Nomen Jesu? ô quanta hinc irreverentiæ! ô quot

admissi abusus ! Dies adest honoris, & gloriae : tandem emendemus, & in omnem terram, quantum fieri potest, Nomen Salvatoris portemus, & promoveamus, verbô, & exemplô, plus tamen exemplô. Qui Regem honorat, honorabitur ab eo.

Instructio meritoria.

Præcipuè satisfaciamus pro millenniis blasphemis, & detestandis injuriis, quibus Jesum impetunt obdurati Judæi, Gentiles, & pessimi Christiani, compatiatur, & in honorem quinque Litterarum, quæ hoc sacrum exprimunt Nomen, recitemus 50. *Pater & Ave* cum Litanis de eodem. Amor non est, qui compati nescit.

III.

Estne Nomen aliud sub cœlo datum hominibus, in quo oportet nos salvos fieri? non est. Procul cum fastuosis, superbis, & elatis *viculis* ! Satis in honore sumus, si humiles, si fortes, & magnanimi pro Nomine Jesu. Occasiones non desunt ; patiamur, ut cum Jesu exaltemur.

Instructio meritoria.

Quoties hodie transibimus Imaginem
Jesu Crucifixi, toties flectentes dicamus:
*Jesu Nazarene! Rex Judeorum! mi-
serere mei!* Et ut Deus augeat cultores
Sacratissimi hujus Nominis, hodiernam
Confessionem, & S. Communionem
cum uno S. Rosario offeramus cum S.
Bernardo optantes:

Jesum omnes agnoscite,
Amorem ejus poscite,
Jesum ardentem quærite,
Quarendò inardescite!

Festum S. Romualdi S. Ord.
Camaldulensis fundatoris.

EXHORTATIUNCULA I.

Mirabilis Deus in vocationibus suis!
Interfuit Romualdus cædi alicujus.
Et ò digitum Dei! mox inter homines
vivere desiit, seque inter deserta, &
speluncas penitus sepelivit. Quotidia-
na, mi fili! cernimus mundi, & homi-
num pericula: & tamen non fugimus?
quàm justè timendum, ne incidamus.